

31. Maij. 1740.
DECAS
QVAESTIONVM MEDICARVM
CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN
ACADEMIA LIPSIENSIS
A. O. R. MDCCXL.
PER SEMESTRE AESTIVVM
PVBLICE VENTILATARVM
MODERATORE
D. CHRISTIANO GOTTLIEB
LUDWIG
COLLEGII B. M. V. COLL.

LIPSIAE
APVD IO. CHRISTIANVM LANGENHEMIVM.

Quaestiones anatomicae et physiologicae

Anat.

A.

S 24,36

INDEX QVAESTIONVM
ADDITIS
NOBILISSIMORVM
DOMINORVM RESPONDENTIVM
NOMINIBVS.

I.

An foemina sine catameniorum fluxu perfecta frui possit sanitate?

DN. IOANNES DANIEL SENFFT, Lipsiensis Med. Baccal.

II.

An aer digestionem adiuvuet?

DN. AVGUSTVS TRAVGOTT TROPPANNER,
Lipsiensis Med. Baccal.

III.

An motus fluidi neruei cum motu matrice lucis et aetheris comparari possit?

DN. IOANNES ERNESTVS STIEFF, Wratislauiensis Med.
Baccal.

IV.

An liquor pericardii per auriculas cordis transudet?

DN. IOANNES GOTTLIEB FRIDERICI, Lipsiensis.

V. An



V.

*An valuulae cordis semilunares veram
exerceant actionem in sanguinem per
arterias mouendum?*

DN. CHRISTIANVS FRIDERICVS SCHVLZ, Torg. Misn.

VI.

*An capacitas utriusque ventriculi cordis
diuersa sit?*

DN. GEORGE CHRISTIAN HAHN, Lignicensis.

VII.

*An a nerui phrenici alterna compressione
alternus quoque thoracis motus?*

DN. IOANNES BENIAMIN BOEHMER, Lignicensis.

VIII.

*An chyli separatio per tubos capillares ex-
plicari queat?*

DN. CAROLVS GOTTLIEB PAVLI, Wratislauiensis.

IX.

An fluidum nerueum nutrire possit?

DN. IOANNES ERNESTVS GREDING, Vinaria-Thuring.

X.

*An stasis sola sit causa amaritiei et acri-
moniae bilis cysticae?*

DN. CAROLVS AVGVSTVS OEHME, Geranus.

GRATIOSI



GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

CONSENSV

MODERATORE

D. CHRISTIANO GOTTLIEB LVDWIG

COLL. B. M. V. COLL.

D. I. IVNII A. O. R. MDCCXL.

HORA X-XII.

IN AVDITORIO MEDICORVM
IOANN. DANIEL SENFFT

LIPSIENSIS

MED. BACCAL.

QVAESTIONEM MEDICAM
PROPONIT

*An foemina sine catameniorum fluxu perfecta frui
possit sanitatem?*

§. I.

Si omnes, quae ex compositione machinae humanae fluunt, actiones, cunctaeque ab homine ipso peragendae functiones, cum constantia, alacritate, ac sine vlo incommodo aut dolore absoluuntur, corpus in statu naturali versari, nemo sane inficias ire poterit. Interim tamen, in statu foeminarum naturali, quidpiam euenire, quod quasi praeternaturale videtur, experientia, et obseruatione edocemur. Patitur enim sequior sexus menstruam quandam, sanguinis rubicundi et sinceri, euacuationem, quae sub

A

cata-



catameniorum seu fluxus menstrui nomine, circa pubertatis tempus primordia sumit, ut plurimum ad quinquagesimum usque annum perdurat, et vario modo perturbata, variis iisdemque grauioribus morbis, ansam praebere solet.

§. II. Ea, qua plurimae foeminarum videntur, viuendi ratio, laxitatem solidorum, ad quam ob naturalem dispositionem, quae per experientiam cognoscitur, proclives sunt, ita auget, ut mulieres praemaribus, ad plethoram disponantur. Laxata enim omnis generis vasa, debilitatae pariter neruae ac musculares fibrae, illum, quem continuus fluidorum motus requirit, non exercere valent renixum: hinc fluida augmentur et vasa distendunt, sanguinis progressus, retardatur, et dum aequilibrium solidorum et fluidorum tollitur, inter omnes secretiones maxima, insensibilis perspiratio, superprimitur; hinc fluida non sufficienter coercentur, sed pars superflua, tum interstitia, quae cellulosus contextus format, replet, tum ita in vasis accumulatur, ut tandem sexui sequiori familiaris, corporique maxime infensa, plethora oriatur.

§. III. Abundantior haec, quam corpora plethorica ferunt, sanguinis pars, primaria iure meritoque censetur menstrui fluxus causa. Omnes enim corporis nostri partes, et hae praecipue, quae minori resistentia, maioriisque prae aliis gaudent vasorum, anastomosibus iunctorum, numero, maiorem quoque eius impulsu sentiunt atque experiuntur. Cum vero uterus maternus, ad fuscipliendam insignem sanguinis molem aptissimus, et ad eandem eliminandam, prae caeteris accommodatus, deprehendatur, sine ullo negotio cognoscitur, illum prae reliquis visceribus, repleri et turgidum redi. Sapientissimus enim rerum creator, mortalium omnium primam elegantissimamque sedem, non solum ita posuit, ut in ima abdominis parte, ab ossibus peluim constituentibus, defendatur, a vicinis partibus parum comprimatur, et placidum expeditumque sanguini affluent concedat ingressum; sed et tanto eam fabrefecit artificio, ut, ex fibris muscularibus, innumerisque vasis, frequentioribus anastomosibus inter se iunctis, conflata, incredibilem iane, et visceris capacitatibus proportionatam visam, sanguinis copiam, comprehendat ac contineat.

§. IV. Sanguis itaque, quem spermaticae, et in primis hypogastricae

* * *

gastricae praebent arteriae, in vteri substantia, coaceruatur, eiusque vasa sensim sensimque ita dilatata, ut orificia, quae limpido alias, pellicidoque liquore, vteri cauum humectabant, nunc crassiorem illum, et rubicundum eructent cruorem, cuius largior per mulierum genitalia euacuatio, vario, in variis, tempore, ab hactenus recensitis causis producitur; plures enim, quae recenserit possent, silentio prætermittimus, cum vel fictae, vel insufficientes deprehendantur.

§. V. Rariora illaesae sanitatis exempla; quae deficiente hac menstrua excretione nobis se offerunt; dira pariter, atrociaque defectum eius concomitantia mala, ineuitabilem plane, et ad tuendam foeminarum sanitatem urgentem huius euacuationis necessitatem, primo intuitu demonstrare videntur. Nos vero, rem aliquati attentione disquirentes, grauioribus mouemur rationibus, ut foeminis etiam, quibus non fluunt menses, perfectae sanitatis possibilitatem, denegare minime queamus.

§. VI. Nouimus quidem, maximum, a quo vita ac sanitas dependet, momentum, solidarum nimirum, fluidarumque partium proportionem, in plurimis foeminarum, locum vix inuenire posse. Nam illae, quas in antecedentibus recensuimus, causae satis superque ostendunt, mensibus instantibus, maiorem sanguinis copiam collectam esse, quae, nisi euacuatur, multos et varios morbos producit. Porro etiam cognoscimus, illas, quae molliore et tranquilliore viuendi ratione vtuntur, tantam colligere sanguinis copiam, quae maiori vi versus vasorum latera irruit, eadem debilitat, ut a superstite tunicarum robore, non nisi maxima cum molestia superrari, ulteriusque in corpore propelli queat. Tollit itaque abundantior sanguis, iustum illud, quod ad conseruandam sanitatem, solidia inter et fluida necessario requiritur, aequilibrium, ut in hac corporis conditione, ubriorem sanguinis menstrui euacuationem egregiae esse utilitatis atque praestantiae, iure meritoque arbitremur. Sed cum determinata, canariumque capacitatibus conueniens sanguinis copia, eidemque respondens, et viuidus vasorum renixus, deficiente quoque catameniorum fluxu, conseruari et instaurari possit; quis omnem, integrae foeminarum salutis atque vigoris, cardinem, in hoc naturae instituto verti, vel aliquali probabilitatis specie, assertere et comprobare poterit.



§. VII. Menstruam euacuationem non nisi a plethora, quae foeminis praemaribus propria est, produci, superius ostendimus. Si vero illa solidorum et fluidorum aequilibrium tollit, necessario sequitur, remota plethora, actiones aequabiles esse, effectusque noxios cessare. Largiorein, luxuriantemque sanguinis copiam, et arte, et ipsa naturae operatione diminui, atque e corpore eliminari posse, quilibet intelligit. Prior vero plethoram abigendi modus, quo sanguis per venam incisam educitur, perbreue tantummodo commodum affert, et inferior longe censendus est, eo, quo maior copia ita coeretur, ut vasa non nimium extendi, nec sanguinis nimiae expansiones fieri queant. Hoc vero fit, si causae pletheram efficientes remoueantur.

§. VIII. Exquisita et optime nutrientia alimenta, si per organa digestionis ita mutantur, ut bonus separari possit chylus, copiam sanguinis augent, sanguificatione in primis perfectissima existente. Si vero laxitas corporis, quae per abundantiam sanguinis inducitur, grauiori labore et continuo corporis exercitio iterum corrigitur, et fibris conueniens robur conciliatur, tunc humor rubicundus sufficienter praeparatur, et superflua eius pars per se- et excretiones, in primis vero per insensibilem perspirationem, eliminatur. Hoc igitur modo altera pletherae causa, parcus scilicet exhalantium dispendium, tollitur.

§. IX. Ex his facile colligitur, foeminam, quae multo labore corpus exercet, aequilibrium solidorum et fluidorum conseruare posse, sine eo, quod catameniorum fluxus succedat. Si vero vtero foetum conceperit, qui copiosorem sanguinis affluxum requirit, tunc vterus per structuram satis aptus est, ad maiorem fluidi copiam suscipiendam. Si vero quis obiiciat, rariora esse exempla fluxus catameniorum deficientis cum perfecta sanitate, tunc moneo, peculiarem adhuc in corpore illius foeminae requiri dispositionem; si enim laxioris habitus est, tunc ea non quadrant, quae tamen in nostro casu assumenda erant. Nobis tantum sufficiat, si ex tractatione elucescit:

Foeminam sine catameniorum fluxu perfecta gaudere posse sanitatem.





GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

CONSENSV

MODERATORE

D. CHRISTIANO GOTTLIEB LVDWIG

COLL. B. M. V. COLL.

D. XV. IVNII A. O. R. MDCC XL.

HORA X-XII.

IN AVDITORIO MEDICORVM
AVGVSTVS TRAVGOTT TROPPANNEGER

LIPSIENSIS

MED. BACCAL.

QVAESTIONEM MEDICAM
PROPONIT


An aer digestionem adiuuet?

§. I.

Cum alimentorum, quae quotidie capimus, eadem non sit ac corporis nostri indoles atque constitutio, necessario requiritur, ut huic simillima reddantur, quo excreta restitui, et ipsae partes solidae restaurari ac nutriri queant. Primus huius assimilationis gradus igitur accidit, si alimenta ore assunta, masticata, deglutita in ventriculi cauo digeruntur, et intima particularum, illa constituentium, solutio peragitur; quem ipsum actum digestionem appellamus. Omnem, hic concurrentium, causarum nexum nunc vel ordine exponere, vel cuiuslibet effectum speciatim peruestigare, animus non est. Nec eas tangam lites, quae, circa digestionis modum, inter summos artis viros, agitatae fuerunt. Ad vnicam potius

B

tius



tius digestionis, eamque non ultimam, causam curatius inuestigandam me conuerto, atque hanc quaestionem, an scilicet, et quomodo aer digestionem adiuuet, enodare breuissimis annitor.

§. II. Aerem, et in alimentis, quae capimus, et in ipso ventriculi cauo contineri, quis est, qui neget? Alimenta enim omnia vel ad solidorum, vel ad fluidorum classem referuntur. Omnia corpora ex minimis particulis, certa vi cohaerentibus, componuntur, et pro harum partium diuersa cohaesione, diuersa quoque existunt corpora; nec fluida a solidis, nec solida a fluidis alia ratione, quam solo cohaesione modo distincta esse, et experientia et rationibus Physici demonstrant. - Inde et illa quoque omnibus ferme corporibus communis cognoscitur affectio, quam porositatem nominamus. Cum enim ex ipsa particularum, corpora componentium, figura qualiscunque ea etiam sit, intelligatur, eas ita cohaerere, ut quaedam semper puncta, ab unius cum altero contactu, sint libera, hinc et semper, inter quasdam particulas, spatium a materia, huic corpori propria, vacuum esse, patet. Ea vero est aeris indoles atque constitutio, ut omnia corpora ambiat, ea penetret atque nunc memorata spatia vacua impletat; quare certo concludere possumus, in omnibus quoque corporibus aerem contineri. Varia physicorum experimenta, in primis vero ope machinae Boyelianae instituta, hoc satis superque euincunt. Ergo in alimentis tum solidis, tum fluidis aer admixtus continetur. Porro subtilissimo hocce fluido et ipsa ventriculi cuitas deprehenditur repleta, stomachus enim, illi in hanc perueniendi aptissimam ostendit viam, nullaque amplius nobis relinquitur dubitatio, cum cadauerum dissectione idem oculis nostris pateat.

§. III. Quoniam aer in alimentis continetur, in illis quoque eosdem, quales in omnibus aliis corporibus, effectus ut producat, necessario sequitur. Huius subtilissimi fluidi natura haec est, ut quo maior vis externa in illud premens existat in eo minus spatium redigatur: econtrario autem illa vi sublata, non solum prius spatium occupet, sed et accedentibus aliis causis, in maiorem et stupendum profectomodum expandatur. Expansio haec eo vehementior deprehenditur, quo minor corporum adiacentium atque prementium vis existit, eumque effectum eo magis auctum videmus, quo intensius ab ipso calore adiuuatur. Iucunda non solum, sed et summa admiratione dignissima illa merito habentur experimenta, quae effectus aeris in corpora, a sola illius expansione dependentes, nobis conspicendos cognoscendosque praebent. Exigua, ut videtur, aeris quan-

quantitas, vix non in omnes corporum partes agit, versus harum latera premit, et dum egredi nititur, intimum etiam harum particularum nexus soluit, destruitque. Cum enim inter minimas, corpora constituentes, particulas, semper quaedam vacua ab iis comprehendantur spatia, et in his aer contineatur, quis est, qui non intelligat hoc fluidum, cui sese expandendi facultas conceditur, in amplius spatum niti, hinc versus illarum particularum latera premere, et dum aeris vis, in actu nunc constituta, particularum vim resistenter longe superat, earum quoque nexus atque cohaesionem penitus tollere, ac in aliam plane faciem mutare valere. Id quod et varia physicorum tentamina satis ostendunt atque euidentissime declarant.

§. IV. Applicemus hoc ad alimenta in ventriculo contenta. Et in horum minutissimis interstitiis aer continetur; et in huius visceris cauo insignis existit calor, illiusque continuus in contenta obseruatur tritus atque pressio. Alimenta solida antequam deglutuntur, masticando primam subeunt solutionem. Hinc solidus eorum habitus, accidente saliuia orisque muco, in laxam magis pulposamque redigitur substantiam, quae ipsa, in deglutitionis negotio, tonsillarum ac stomachi glandularum muco magis adhuc viscida redditur, et maior quoque aeris copia illi admiscetur. Cum enim alimenta masticata non masticatis pulposiora existant, magis quoque porosa deprehenduntur. Quo porosiora autem corpora, eo liberius quoque in horum interstitia aeris aditus. Accedit et hoc, quod magna satis aeris ipsi quoque saliuae aliarumque oris glandularum humoribus permixta sit copia, horumque mucosis particulis obuoluta et inclusa.

§. V. Alimenta igitur ita constituta, ventriculum ingreduntur, calore continuo fuentur, motu perpetuo agitantur premunturque, hinc et aeris in illis contenti vis, qua semper amplius spatum occupare nititur, fortius intenditur, huius particulae in ipso expansionis actu constitutae, in minimis alimentorum interstitiis antea ferme quiescentes, nunc omni, quae illis conceditur, vi agunt, minimas alimentorum partes vndiquaque premunt, earumque priorem habitum mutant, compositionis modum destruunt, atque in aliam plane formam mutatas nobis sistunt, ita, ut intimam harum solutionem peractam fuisse facilime agnoscamus. Neque in hoc declarando effectu sufficienes deprehendo rationes, cur ad eorum castra abeam, qui vel a sola ventriculi ipsius et viscerum adiacentium



tium agitatione atque attritu, vel a sola liquoris gastrici actione illum dependere existimant. Vtriusque enim in digestionis negotio necessitatem licet non negem, attamen nec solam, nec sufficien-tem causam esse existimo, concurrentes vero et concedo, et ipse assumo. Attritu enim atque agitatione ipse quoque ventriculi calor magis augetur, ab hoc vero aeris sese expandendi vis et potentia. Liquor gastricus, qui alimentorum interstitia penetrat, aeris in illa actionem adiuuat, immo et impedit, quo minus alimentorum partes, a se inuicem separatae, iterum coeant, atque ita aeris actionem et liberiorem et efficaciorem reddit.

§. VI. Sed et hic quaestio agitari posset, an illa alimentorum solutio a sola aeris, in alimentorum interstitiis, contenti expansione deducenda? an vero potius ad aeris, superiorem ventriculi partem occupantis, pressionem recurrentum sit? Certe, si ventriculus tanquam vas, orificiis arctissime et vndiquaque clausis instrum, assumi posset, et illam ipsam aeris pressionem in nostro declarando negotio agnoscerem: At si paullo accuratius perpendo ventriculi constitutionem, illiusque effectum, hunc vel penitus reiicio, vel minimum tantum statuo. Cum enim vtraque extremitas orificio sit praedita, aeris in supremo ventriculo vis atque pressio maxime imminuitur; quoniam et superius et inferius facile egreditur. Scio equidem plurimos physiologorum eam defendere sententiam, ventriculi oricia, in primis digestionis tempore, arctissime esse clausa; ea autem, non nisi in summa plenitudine et ventriculi expansione, stringi et ratio et ipsa dicti visceris structura ostendunt. Quod cum ita se habeat, facile patere arbitror, et aerem, qui minima corporum interstitia penetrare valet, huius quoque arcta licet oricia et perrumpere et egredi valere; hinc illius pressionem nihil ferme in alimenta contenta agere.

§. VII. Aerem igitur in alimentorum interstitiis contentum, atque humorum oris, stomachi ac ventriculi permixtione magis adhuc auctum, in digestionis negotio tantum assumi debere quemlibet, qui hactenus dicta et colligit et paulo curatius perpendit, facillime intelligere posse opinor, in primis, cum alimentorum in ventriculo digestionem, nihil aliud, quam particularum haec constituentium solutionem esse, inter omnes constet. Hinc et optimo iure concludo:

Aerem digestionem adiuuare.



9

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV
MODERATORE
D. CHRISTIANO GOTTLIEB LVDWIG
COLL. B. M. V. COLL.

D. VI. IVLII A. O. R. MDCCXL.

HORA X-XII.

IN AUDITORIO MEDICORVM
IOANNES ERNESTVS STIEFF
WRATISLAVIENSIS
MED. BACCAL.
QVAESTIONEM MEDICAM

PROPONIT

*An motus fluidi neruei cum motu materiae lucis et
aetheris comparari possit?*

§. I.

Quum omnes fere medici recentiores praesentiam fluidi neruei statuant, hanc sententiam experimentis sat confirmatain, vltierius demonstrare superuacaneum censuimus. Nos de fluido neruorum quaedam prolaturi, non isthoc fluidum intelligimus, quod nerui ad nutritionem recipiunt; sed de illo tantum verba facimus, cuius ope actio muscularis et omnis producitur sensatio, quodue a plurimis medicorum titulo spirituum insignitur; quorum definitio, vel potius descriptio a physiologis exhibetur. Secernitur fluidum nerueum ex sanguine, per arterias carotides internas ac vertebrales, ad cerebrum cerebellumque deducto.^a Ingreditur postmodum neroos, quorum filaments cauitates^b habere et ratio suadet, et nonnulli^c microscopiis detegere voluerunt.

§. II. Agunt spiritus in musculos aliasue partes solidas prout in physiologia docetur, hinc istud fluidum motum^d exercere, quis est, qui negat? Triplex vero eiusdem deprehenditur motus, ille nempe, qui nouos spiritus loco consumtorum in tubulos neruorum impellit; alter, qui tempore actionis muscularis a cerebro in organum progreditur; ac tertius, qui ex organo in cerebrum reagit ibique obiectorum impressionem et sensationem excitat.^e Primum sicco transibimus pede, quia lege circulationis humorum ab impulsu vltiinarum arteriolarum, de quo hic non sermo est, dependet^f; vtrumque autem posteriorem considerare institutum postulat. Ast neutquam in causam

C

impel-

a) BOERHAAVE Instit. med. §. 274. sqq. b) BORELLVS de motu animal. P. II. Propos. XXIII. c) LEEUVENHOEK Epist. phys. 32. d) BORELLVS I. c. P. II. Propos. CLV. e) Idem I. c. et Propos. CLVII. f) ELIE COL DE VILARS Cours de Chirurgie T. I. p. 179.

impellentem, motusue hos excitantem inquiramus, quae, licet exercitatissimi viri multum hac in re laboris impendeant, nondum exacte determinari potest. Modus, quo ille impulsus receptus in tubulis neruorum cylindricis propagatur, potius heic loci demonstrandus est. Varia iam quidem prostant de motu spirituum placita, sed plurima plurimis displicant, quum phoenomenis non exacte respondeant. At enim vero, spiritus particulis fluidis, subtilissimis ^g constare et ideo motus, istis legibus obedientes, exercere, quas omnia fluida admittunt, ex eorumdem actione satis patet; hinc nostra quaestio oborta est. Generaliora, quod nempe utriusque motus in lineis absoluatur et quae plura istius tenoris huc referri merentur, minime tangimus, sed potius ponderosiora quaedam adgredimur.

§. III. Lux radios suos ubique diuertit, ^h usque dum eorumdem motus ab obiecto intercepti, aliam directionem adcipiunt, de quo experimentum testatur cum luce in loco eleuato posita institutum. Idem accidit in motu spirituum. A nemine negatur, quod illi motum in cerebro receptum in omnibus neruis simul continuare possent, nisi a voluntate nostra sic dirigantur, ut tantum in istos neruorum tubulos agant, qui ad producendum determinatum quemdam motum necessario requiruntur. Brachium si flectere decernimus, actio spirituum ad musculos flexores tantum sic disponitur, quo in reliquis neruulis, v. c. muscularum extensorum, nullus spirituum excitetur motus. Sicut itaque radiorum lucis ab obiecto, sic quoque spirituum motus a caussa hos dirigente intercipitur et determinata quadam directione continuatur.

§. IV. Aliam huic veritati nunc addam, lucem nimirum ex sole vel quouis corpore lucente egressam, e centro ad peripheriam moueri ⁱ; si cerebrum vel cerebellum ut centrum et tubulos neruorum in toto corpore in peripheria veluti dispersos concipiamus, conuenientia horum motuum satis adparebit. Haerent spiritus secreti in ἐνεργίᾳ, usque dum voluntas nostra caussam illam impellentem, quam supra assumimus, urget, ac motus spirituum ex principio tubolorum neruorum ad musculum quempiam commouendum dirigit. Hunc motum ulterius demonstrat ligatura, pressio et obstructio neruorum, qui ad quamlibet fibram muscularam abeunt; v. c. si neruos diaphragmaticos, quibus motus diaphragmatis perficitur, in viuo animali ligamus, eodem fere momento motus et actio diaphragmatis subito cessat; e contrario si soluitur ligatura, tunc reiterantur motus. Si vero pars nerui

infra

- g) WINSLOW Expos. anatomique Traité de la Tete §. 190. 191. VILARS lib. cit. T. I. p. 171. h) MVSSCHENBROEK Essai de Physique T. II. §. 1004. i) Id. lib. cit. T. II. §. 1007. conf. eiusd. Elem. phys. math. edit. Leid. 1726. §. 855. 857. 867.

infra ligaturam valide stringitur, leuiter resuscitatum animaduertimus diaphragmatis motum. Haec phoenomena, quae fluidi huius existentiam abunde comprobant, non aliter explicari possunt, quam quod motus spirituum qui consueto modo ex cerebro s. centro ad diaphragma s. peripheriam in neruis progreditur, in loco ligature aut pressionis istius intercipiatur, eiusdemque continuatio impediatur. Eumdem effectum ex caussis mox allegatis obstructio profert.

§. V. Lucis porro motus pro velocissimo haberi potest. Si distantiam solis a terra 24000 semidiam. telluris^k et semidiametrum ex calculo musschenbroeckiano 19', 615, 782 ped. adsumamus, erit vera distantia^l telluris a sole 470, 778, 768, 000 ped. Hancce distantiam dum lux percurrit, tempus 8 min. prim. consumitur, quo adsumto, lucem in tempore 1. min. sec. distantiam 980', 789, 100. ped. absoluere, calculus confirmat. Erit ergo velocitas motus lucis e sole egressae ut 1 min. sec. ad dist. 980', 789, 100 = 480 min. sec. ad dist. 470, 778', 768, 000. Experientia edocemur, quod in eadem temporis minuta in qua voluntas digitum pedis commouere decreuit, ipse huius digitii motus peragatur, quem commoti musculi perficiunt. Haec vero actio a motu spirituum dependet, cuius causa in cerebro latet, ut supra iam monuimus. Imo sequitur quod motus spirituum ex cerebro in exiguo temporis spatio ad neruulos usque huius digitii velocissime continuetur. Idem experimentis ostenditur in illo spirituum motu, quo nempe sensatio rerum ex organo ad cerebrum subito ducitur. Ast eo usque non excurrimus in nostra demonstratione, quo eundem velocitatis gradum quem lux exercet, fluido nerueo adsignare velimus.

§. VI. Motus lucis non in instanti sed in tempore absolui^m ex observatione eclipsium satellitum Louis à ROMERO, CASSINIⁿ et HUGENIO^o nobiscum communicata MUSSENBROEK^p ostendit, qui GALILAEVM^q falso experimento deductum et contrarium statuente solide alibi^r refutauit. Eamdem quoque de motu spirituum hic adsumimus sententiam cuius ubiorem demonstrationem paulo post

C 2

§. VII.

^{k)} WOLFFIUS in den Anfangsgründen der Geographie §. 16. semidiam. telluris vulgarem assumit 860. mill. germ. ex qua calculus euincit lucem in 1. min. sec. distantiam 43000. mill. Germ. permeare. l) Excell. MUSSENBROEKIVS in Essai de Phys. T. II. §. 1011. et in Elem. Phys. Math. ed. Leid. 1734. P. II. C. 13. solem a terra 470, 788', 768, 000. ped. distare per errorem adfirmat; est etenim 24000. × 19', 615, 782. = 470, 778', 768, 000. qui numeri nostrum consti- tuant calculum. Hac sua autem falsa distantia deductus, lucem in tempore 1. min. sec. 980, 809, 933, $\frac{1}{3}$. ped. percurrere, loc. cit. idem statuit; quos errores calculi musschenbroekiani hic adnotare voluimus. m) NEWTONS Optic. Lib. II. Part. III. Prop. XI. n) in Philosophical Transactions no. 136. o) Traite de la lumiere cap. I. p) Essai de Phys. §. 1009. q) in Dial. I. tract. duar. nouar. Scient. p. 43. ed. Leid. 1638. r) in Tentam. Academ. del Cimento T. II. p. 183. sq.

§. VII. addituri sumus. Vnicum STVARTI^t experimentum saepius a nobis sedulo imitatum non recensere non possumus. Amputauimus nempe caput ranae suspensa pedibus inferioribus libere pendentibus atque mox post amputationem virgula obtusa medullam spinalem compressimus, quo peracto non in instanti sed consumto breuissimo temporis momento rana pedes fortiter contraxit, quibus relaxatis aliquoties repeti potuit experimentum.

§. VII. De motu aetheris aliquid addendum restat. Subtilissimum istud fluidum ex particulis aequalis fere magnitudinis, elasticis, sphaericis, ac in serie positis componitur. HUGENIVS^t perspicue demonstrat, quomodo vnicus aetheris globulus in numeros efficiat motus. Medici particulis spirituum figuram sphaericam et elasticitatem^u attribuunt. Tubus igitur neruorum cylindricus talem in se continet seriem globulorum elasticorum. Satis conspicuus est motus velocissimus fluidi neruei antea descriptus, ad quem efficiendum nil aptius globulis elasticis, sphaericis, magnitudine inter se vix differentibus inueniatur. Legibus mechanicis vtriusque materiei motus satis conuenienter obtemperat, qualem motus theoriam de aethere physici explicant, de spiritibus autem nobis demonstrare incumbit. Sit in tubulo nervorum cylindrico series centum numero globulorum spirituum; primus globulus A. impulsu ab impellente principio receptu alteri globulo B. ille B. tertio globulo C. eumdem motu communicat, et sic motus ab una tubuli extremitate ad alteram, a primo ad centesimum usque globulum per totam seriem velocissime continuatur; qua sententia rite percepta non tantum dissipari spirituum copiam fingere debemus. Vix etenim alias nobis concipimus fluidum nerueum et a cerebro in organum agere et ab organo in cerebrum reagere posse, sine eo, quod copiosius descendat et recurrat. Haec ictum methodus multis grauioribus impedimentis obnoxia est, et difficilior priori euadit, quae cum dispendio temporis aequa ac virtutum absoluitur. Quibus praemissis spiritus veluti lux non in instanti sed in tempore moueri (§. VI.) nunc eo melius demonstrare valemus. Si series centum globulorum, motu, quem supra descripsimus, agitari debet, sequitur, quod temporis aliquod spatium, licet exiguum valde sit, intercedat, in quo motus primi globuli A. alteri B. et postmodum C. communicatus ad centesimum Z. usque continuari ac peruenire potest. Hinc sententia de motu spirituum in instanti si in rigore sumitur, evanescit. Plura proferre, licet chartae angustia impedit, ex adlegatis tamen sententiae nostrae veritas abunde colligitur:

Motum fluidi neruei cum motu materiae lucis et aetheris
comparari posse.

- s) in Dissert. de structura et motu musculari Cap. XI. experim. 3. Tab. I. fig. 2. t) HUGENIVS Traite de la Lumiere chap. I. u) VILARS Cours de Chirurgie T. I. Art. des Esprits.

13

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV
MODERATORE
D. CHRISTIANO GOTTLIEB LVDWIG
COLL. B. M. V. COLL.
D. XIII. IVLII A. O. R. MDCCXL.
HORA X-XII.

IN AUDITORIO MEDICORVM
IOANNES GOTTLIEB FRIDERICI
LIPSIENSIS
PHILOS. ET MED. CVLT.
QVAESTIONEM MEDICAM
PROPONIT

*An liquor pericardii per auriculas cordis
transudet?*

§. I.

Disquirenti mihi, liquoris pericardii ortum, principes, qui de illo scripserunt, auctores nominandos esse credidi. In his HIPPOCRATES^a liquoris pericardii originem a potu ducendam esse existimauit. Meliorem, ast non satis declaratam, opinionem VESLINGIVS^b et THOM. BARTHOLINV^c defendendam tuendamque suscepereunt; persuadebant nimirum sibi a vaporibus circa cor existentibus illum oriri. Aliam in medium protulit LOWERVS^d) sententiam, qui a glandulis in pericardio a se obseruatis illius ortum petendum esse demonstrauit, a cuius etiam partibus FANTONVS,^e

MAVR.

- a) Ηρόν καιδίν. §. 41. p. 289. Ed. Ant. van der Linden. T. I.
- b) Syntagm. Anat. Cap. X. p. 146. Ed. Blas. Conf. ipsum Blas. comment.
- c) Anat. Reform. L. II. de Thorace p. 230.
- d) Tract. de Corde p. 4. Cap. I. Ed. Londin.
- e) in Anat. Corp. Hum. Part. I. Diff. XI. p. 278.

D



MAVR. HOFMANNVS, ^f LANCISIVS ^g aliique, stare non dubitarunt. Porro alii glandulam thymum huic officio destinatam esse arbitrantur ex quibus MVRALTVS ^h in primis erit appellandus. Sunt denique, qui ex auriculis illum liquorē exsudare statuunt, idemque multis argumentis confirmare moliuntur. In his primum obtinet locum THEBESIVS ⁱ qui nimirum dictum pericardii liquorē per auriculas emitti affirmauit; in cuius sententiam Cel. HEISTERVS ^k et HOVIVS ^l iuere. Atque horum trium iurorum hac de re latum iudicium nunc aliqua ex parte in rem meam accurate conuertam. ^m

§. II. In omni, quaecunque reperitur corporis humani cauitate, liquorē quendam tenuem fecerni atque elici ex superficie partium nemo artis medicae peritior negabit. Hoc autem ita fieri, vel omenti, ventriculi, intestinorum, durae matris, articulorum, et vaginalium, in quibus nonnulli tendines ducuntur exemplo edocemur; harum etenim partium superficies interna, semper humida, lubrica porisque instruēta reperitur.

§. III. In primis accuratiō pleurae et peritonaei consideratio nostram firmat sententiam. Vapor qui in animantibus brutis recens extinctis obseruatur, et parca quantitas quae nonnunquam in thoracis cauitate a vaporibus post mortem condensatis occurrit, ex nullo alio fonte quam ex pleurae vasculis suam trahit originem. Accidit interdum, ut, nimia extrafatione accedente, tanta aquae copia erumpat, ut ipsa thoracis cauitas ea repleatur. Quin etiam peritonaeum eadem, quae in pleura obseruatur, liquoris quantitate imbutum esse, ipsa cadauerum dissectione erudimur, et aqua in abdomen abundans, eos, quos in thorace habet, fontes agnoscit.

§. IV. Pleurae autem et peritonaei internam structuram haud segniter examinatur, eam vasis secretioni eiusmodi liquoris inferuentibus praeditam esse reperimus. Vasa enim arteriosa et venosa membranas illas perudentia exstant, quae ulterius examinata non amplius fangu-

f) In diss. de pericardio §. 7. p. 20. Altorf. 1690.

g) De Corde et Aneurismatibus Lib. I. Sect. I. Cap. 5.

h) vid. eius Vademecum anatomicum Exercit. 6.

i) In Diss. de Sanguinis circulo in Corde §. 38. p. 22. et in Ephem. N. C. Cent. III. p. 277. obseruatione quadam singulari hanc suam sententiam repetit.

k) Comp. Anat. §. 260 p. 123. T. I.

l) Tract. de circulari humorum motu in oculis p. 87.

m) Plures adhuc alias hac de re sententias dabit THOM. BARTHOLI-
NVS I. c.

sanguinem rubicundum, sed humorem sanguine tenuiorem vehunt et lymphatica euadunt. Si vero fabricam et usum arteriae et venae attentius consideramus satis luculenter cognoscimus venam nihil posse suppeditare. Vnicus itaque huius liquoris ortus arteriis minimis lymphaticis ex arteriis sanguiferis deductis erit adscribendus; quod si quis ad glandulas in pleura praesentes prouocabit, easdem nec negamus, nec, propria experientia fulti, assuumimus.

§. V. Quod ad pericardii attinet texturam, illam cum pleurae et peritonaei fabrica conuenire facile apparet. Hinc etiam continuo exstilla liquor tenuissimus qui suis dotibus multum conuenit cum liquore pleurae et peritonaei. Viscidus vero et lubricus apparet, qui, ut paullo ante ostendimus, in animali recens mactato vaporis instar eleuatur et odore singulari nares afficit. Pericardium autem in interiori sua superficie poris iisdem, quibus illae citatae membranae instructae reperiuntur, praeditum est ac densum contemplatur.

§. VI. Duo praecipue sunt, quae in liquore pericardii ab humore in praecedentibus adducto discrepantia obseruantur. Ille nimurum maiori, quam pleurae et peritonaei liquor, copia secernitur, fitque interdum, ut colore in induat rubriorem. Ad prius quod attinet, illum scilicet liquorum magna copia expelli, cadauerum incisio, et experimenta alia, quae virorum doctorum industriae debentur, satis abundeque demonstrant. Dicam vero descriptius quid mihi velim. Non iam illam liquoris quantitatem considero cui in hydroperitoneo et alio corporis morbo statu locus dandus est; Sed non nisi de ista aquae copia quae in pericardio, hominis morbo non adeo violento extincti, obseruata est, nunc agitur, cuius color etiam rubicundus loturae carnis similis deprehenditur. Et copia descripta et color in brutis saepenumero animaduertitur, verum in homine etiam adesse varia nos docent exempla. Licet enim Cel. BOHNIVS liquorem hunc prorsus in dubium vocet,ⁿ⁾ tamen et PECHLINVS^{o)} aliquando eundem se perspexisse affirmat, et ipsum in infante, quem Cel. HEBENSTREITIVS praceptor de me meritissimus publice prosecuit, hisce meis usurpauit oculis.

§. VII. Ordo exigit, ut causam et originem illius rubicundi coloris scrutemur. Per ventriculos cordis ille transfire nequit, quoniam ipsa eorum repugnat structura. Ex fibris enim densis firmissi-

D 2

meque

n) In Circ. Anat. Phys. Prog. XX. p. 323.

o) In Diff. de Fabrica et usu cordis Artic. II. p. 6.

meque sibi inuicem coniunctis et conglutinatis constant. Graius aliquid dicam: fabrica eius musculosa omnes musculos reliquos sua antecellit densitate. Nil noui molior: rem propono, quam et HIPPOCRATEM exploratam habuisse haec eius testantur verba: ή καρδίν μῦς ἐσὶ κάρτα ἵχυρος, & τῷ νεύρῳ, ἀλλὰ πιλήματι σφρκός.^p Atque hanc esse caussam arbitror, cur oscula arteriolarum in exteriori eius superficie reperta non aliter transudent quam de pleura, peritonaeo et pericardio interno assumimus: quamuis enim dexter ventriculus tenuior sit simistro, vterque tamen fibris validissimis praeditus est.


§. VIII. Auricularum contra texturam consideraturi, aliquam eiusmodi liquoris partem per illas transire satis abundeque perspicimus. Etsi enim hae musculosam habeant structuram, tenuorem tamen ventriculis obtinent fabricam. Ita vero constructae sunt, ut in una parte magis tenues, quam in altera reperiantur. Mox enim fibrarum complexus siue columna conspicitur, mox nuda quasi apparet membrana, ^q et pectinatum sistit habitum. Sanguine itaque in violentioribus cordis motibus vi sua earum parietes valide premente, aliquid liquoris rubicundi per illas emitti, iure mihi videor posse contendere. Dum vero, motu cordis fortiore liquorem pericardii exprimi posse affero, simul concedere cogor morte instanti anxios magis motus cordis oriri et ita maiorem copiam expelli, licet eius praesentiam non a sola mortis anxietate deducamus.

§. VIII. Maius autem argumentum reliquum est, quod caussae nostrae corroborandae in primis inferuire videtur. Vesicula fellea in eodem statu a visceribus sibi accumbentibus constricta atque pressa, interdum duodenum atque colon suo tingit colore. Quid, quod, ipsa eius exterior tunica est peritonaei continuatio. Auriculae vero textura, ut ex prolatis elucebit, omnino cum vesiculae felleae ratione aliquo modo comparanda erit. His ita expositis, id mihi iure meritoque scisco atque volo:

liquorem pericardii per auriculas cordis emitti, vel si mavis
exsudare.

p) I. c. §. 4. p. 290. T.I. Ed. cit.

q) Lectu hac de re digna sunt ea, quae Ill. WALTHERVS in Programm. de auricularum structura Lips. 1738. et THEBESIVS I. c. §. 39. p. 22. in medium protulerunt.



GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV
MODERATORE
D. CHRISTIANO GOTTLIEB LVDWIG

COLL. B. M. V. COLL.

D. XXVII. IVLII A. O. R. MDCCXL.

HORA X-XII.

IN AVDITORIO MEDICORVM
CHRISTIANVS FRIDERICVS SCHVLZ
TORG. MISN.
PHILOS. ET MED. CVLT.
QVAESTIONEM MEDICAM

PROPOONIT

*An Valuulae cordis semilunares veram exerceant
actionem in sanguinem per arterias mouendum?*

§. I.

In quacunque actione ad tria in primis ut respiciatur necesse est primo ad inertiam corporis actionem quandam suscipientis; secundo ad causam vel vim externam, motum in corpore producentem: et tertio denique ad quietem et motum. Horum vero singulorum definitiones ut praemittam, ordo postulat. Inertia corporum itaque est vis quaedam resistendi, in qua continetur ratio, cur actio huius corporis non existat. WOLFF. Ontol. §. 726. Causa externa, quae motum producit in corpore, est vis seu conatus corporis ad occupanda loca aliorum corporum in certa plaga existentium. HAMBERGER. Elem. Phys. §. 15. Externa vero tunc dicitur causa, quando ad corporis alterius essentiam non pertinet. Motus denique continua loci est mutatio; quies vero perseverantia in eodem loco appellatur. WOLFF. Ontol. §. 672.

§. II. *Omne corpus vi inertiae gaudet.* Corpora enim certo conatu motui resistunt, §. 1. et si ista resistentia non superatur, corpus semper in quiete manet, quod per experientiam notum est. Illud vero quod resistit motui, in se continet causam, cur motus minus fiat. §. 1. Ergo omne corpus vi inertiae gaudet.

§. III. *Nullus motus fieri potest in corpore, nisi per vim ab extra.* Omne corpus vi inertiae gaudet; §. 2. nullum itaque corpus se ipsum mouere potest, sed, ut causa ab extra accedit, necesse est. Causa vero sine vi actiua agere non valet, ergo nullus motus fieri potest in corpore, nisi per vim ab extra.

§. IV. *Ratio motus et mutationis continetur in subiecto, quod mutationes subit.* Omnis inutatio dependet ab actione cuiusdam causae externae; §. 3. si itaque corpus actionem huius causae recipere debet,

E

bet,

bet, in corpore requiritur certa potentia illam recipiendi, alias enim corpus ad mutationem plane ineptum esset. Illa itaque potentia rationem, cur mutatio et motus in corpore isto fiat, in se continet; Ergo motus et mutationis ratio continetur in subiecto, quod mutationes subit.

§. V. *Nulla actio fieri potest sine motu ac mutatione.* Omnis motus in corpore dependet a causa quadam ab extra; §. 3. omne vero corpus, si in aliud agit, contactu agit, alias enim corporibus aliquid adscriberetur, quod essentiae eorum repugnaret; si vero contactus inter corpora fieri debet, necesse est, ut corpora sibi inuicem appropinquentur, quod sine loci mutatione fieri non potest; mutatio vero loci dicitur motus, §. 1. itaque nulla actio fit sine motu ac mutatione.

§. VI. Ex his praemissis facile eruenda est definitio legitima actionis, quod nimirum illa sit, mutatio status praecedentis §. 5. cuius ratio continetur in subiecto, quod eum mutat §. 4. et semper presupponit causam ab extra. §. 3.

§. VII. *Nulla potest esse actio sine reactione seu resistentia.* Omnis actio presupponit causam ab extra. §. 3. Omne corpus actioni huius causae resistit. §. 2. Ergo actio corporis in corpus sine reactione seu resistentia corporis, in quod agitur, concipinon potest.

§. VIII. Est itaque reactio resistentia et renisus in plagam, corporis cuiusdam ab extra agentis, contrariam. §. 7. et 1.

§. IX. *Reactio aequalis est actioni corporis in corpus.* Nulla potest fieri actio sine reactione. §. 7. Quamdiu itaque actio in corpus durat, tam diu quoque durat reactio. Corpus reagens certam exercet vim reagendi seu resistendi, et si illa non superatur, corpus quietum manet §. 2. Itaque necesse est, ut corpus ab extra aequalem adhibeat vim; et illo temporis puncto, quo hoc accidit, vera perficitur actio et reactio; nam si superatur resistentia corporis, cessat quoque actio corporis in corpus, et corpus, quod antea resistentiam exercebat, nunc actionem perficit.

§. X. *Omnis actio aequalis est vi, a qua dependet, superata resistentia.* Si corpus agere debet, necesse est impulsus ab extra. §. 3. et 5. Omne corpus habet vim istum impulsum recipiendi, et agit corpus, si resistentia tollitur. §. 9. Si itaque corpus agit post superatam vim resistentiae, talis erit actio, qualis est impulsus post resistentiam sublatam. Agat corpus A vi quadam B = 12 in corpus C; corpus C reagat vi D = 4, impulsus corporis A post superatam resistentiam D = 4 adhuc erit = 8; itaque corpus C adhuc propellitur vi B = 12 : D = 4 i.e. actio corporis C. erit uti impulsus corporis post superatam resistentiam.

§. XI. *Omnis reactio vera est actio.* Omnis reactio presupponit actionem. §. 7. Omne corpus reagens potentia pollet actiones subeundi. §. 4. Quando corpus subit actiones, status corporis mutatur, §. 5. mutatio vero status praecedentis, et si eius ratio in subiecto, quod eum mutat, contine-

continetur, dicitur actio. §. 6. Ergo reactio vera est actio. Quod multis adhuc exemplis demonstravit HAMBERGER. in Elem. Phys. cap. I. §. 35. 36. His itaque praemissis rem ipsam nunc agredior et quaestione mihi propositam secundum regulas istas motus et actionum examini subiiciam.

§. XII. Arteria est canalis ex variis fibrarum stratis formatus, densus, albicans, elasticus, ita cum cordis ventriculis connexus, ut sanguinem ex illis receptum, per truncos et ramifications sensim sensimque angustiores, in totum corpus ducere valeat. Exemplo sit aorta.

§. XIII. *Aorta suscipit actionem sanguinis ex corde propulsione in expansione sua, et reactionem perficit in contractione.* Sanguis enim a corde tanquam causa externa in principio systoles primum patitur impulsus, §. 3. post superatam sanguinis resistantiam sanguis agit certa destinata vi. §. 10. Vbi impulsus et contactus corporis in corpus ibi actio. Ergo sanguis impulsus acorde susceptum exercet in aortam, quando illam expandit. Cum vero nulla actio esse possit sine reactione, §. 7. in primis in corporibus elasticis, vti arteriae sunt, §. 12. aorta reagit; reactio vero est renis in plagam contrariam. §. 8. Arteria itaque reactionem perficit dum se contrahit.

§. XIV. *Diameter aortae tempore reactionis quidem imminuitur, sed nunquam eum in modum, ut prorsus nullum intus relinquatur spatium.* Arteria actionem sanguinis suscipit in expansione; §. 13. illo itaque tempore diameter naturali maior existit. Arteria reactionem perficit in contractione; §. 13. igitur minor naturali in contractione redditur diameter, hacque ratione et in statu expansionis, et in statu contractionis arteriae diameter a naturali plane differt. Cum vero aortae diameter naturalis prius determinandus sit, quam eiusdem diameter in maxima contractione inueniri possit, videamus, an statum in corpore detegere queamus, in quo diameter aortae quam proxime cum naturali conueniat. Experientia docet, quod actiones et reactiones in moribundis paulatim cessent, quod ex pulsu diiudicari potest, actio vero et reactio semper sibi sunt aequales, §. 9. itaque quiescit aorta fere in medio summae expansionis et summae contractionis, illum itaque diametrum aortae pro naturali assumi posse, non video quid repugnet. Diameter vero post mortem in homine adulto ut plurimum non infra $1\frac{1}{2}$ " siue 15." inuenitur, per exper. Si itaque expansione augetur diameter usque ad 20", quod cum quantitate sanguinis, quae una vice propellitur in aortam, conuenire arbitror in contractione pari ratione imminueretur diameter: nam actio et reactio sibi sunt aequales. §. 9. Itaque diameter aortae in maxima contractione esset 10", et hac ratione adhuc relinquitur spatium quoddam in aorta licet contracta. Monemus tamen, quod ob resistantiam sanguinis in arteria contenti, diameter in summa contractio-

ne non ad 10" vsque perueniat, sed aliquantum maior sit. Ulteriorem graduum disquisitionem, quoniam huc non spectat, omittimus.

§. XV. *In contractione aorta agit in sanguinem, et sanguis impulsu ab illa patitur.* Aorta in contractione reactionem perficit. §. 13. Reactio vera est actio. §. 9. Ergo arteria in contractione veram actionem perficit. Contractionis tempore diameter imminuitur. §. 14. Ergo sanguis intus contentus contractionis statu impulsu patitur.

§. XVI. *Sanguis in contractione aortae versus cor iterum repellitur.* Sanguis impulsu patitur ab arteria tempore contractionis. §. 15. Omnia fluida si premuntur versus illum abire solent locum, ubi minor est resistentia, per exper.; arteriae vero in truncis et ramis angustiores fiunt; §. 12. ergo maior est diameter aortae versus cor spectans, quam in parte opposita. Praeterea arteriae expanduntur et contrahuntur per interualla, quoniam per interualla recipiunt sanguinem a corde, porro arteria non proflus contrahitur; §. 14. ergo sanguis in spatio partis sequentis arteriae relictus, sanguini propulso resistit. In contractione itaque aortae maxima copia sanguinis versus cor repellitur.


§. XVII. Valuulae cordis semilunares sunt membranulae, tenues, nerueae, orificiis arteriarum, cum ventriculis cordis connexis, numero ternario coniunctae, ita ut versus arteriam excauatae, versus ventriculos vero conuexae, inueniantur; sanguinem igitur in arteriam admittunt, retrogressum vero eiusdem impediunt.

§. XVIII. *Sanguis agit in valuulas semilunares.* In contractione aortae sanguis patitur impulsu. §. 15. Omne corpus post impulsu certa destinata agit vi. §. 9. Sanguis in contractione aortae versus cor progreditur. §. 16. Valuulae semilunares sic sitae sunt et fabrefactae ut se expandendo actionem recipere queant. §. 17. Ergo sanguis agit in valuulas.

§. XIX. *Valuulae reagunt in sanguinem.* Nulla potest esse actio sine reactione. §. 7. Sanguis agit in valuulas. §. 18. Ergo valuulae reagunt. Vis vero quam valuulae in isto negotio adhibent, non tam accurate determinari potest, ea vero quae ex praemissis erui possunt, hic coronidis loco apponam. Sit actio arteriae A resistentia sanguinis B. actio sanguinis in valuulas C, reactio valuularum D. Erit itaque C = A : B. §. 10. et D = C. §. 9. Si duo aequalia sunt tertio, inter se sunt aequalia, itaque D = A : B. Ex quo apparet quod resistentia valuularum nontam parua sit habenda. Sed ob breue spatium ad finem propero atque sic concludo.

§. XX. *In contractione aortae sanguis impulsu patitur.* §. 15. Sanguis versus valuulas semilunares mediante hoc impulsu propellitur, §. 16. Sanguis agit in valuulas. §. 18. Valuulae reagunt. §. 19. Reactio vera est actio. §. 11. Ergo.

Valuulae cordis semilunares veram exercent actionem in sanguinem per arterias mouendum.



GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV
MODERATORE
D. CHRISTIANO GOTTLIEB LUDWIG
COLL. B. M. V. COLL.

D. III. AVGUST. A. O. R. MDCCXL.
HORA X-XII.

IN AVDITORIO MEDICORVM
G E O R G E C H R I S T I A N H A H N

LIGNICENSIS
PHILOS. ET MED. CVLT.
QVAESTIONEM MEDICAM

PROPOONIT

An capacitas utriusque ventriculi cordis diuersa sit?

§. I.

Ad illas certe controvrsias, quae vel vnqnam in medicorum scholis agitatae fuere ista, quoque iure erit referenda, vbi de cordis ventriculorum capacitatem disputatur. Sunt, qui affirmant aliisque persuaderet, reconantur cordis ventriculos capacitatem a seiuicem distinctos inueniri. Perhibent enim, anteriorem seu dextrum posteriori breuiorem quidem, sed longe ampliorem existere; posteriorem e contrario, licet paulo longior sit, multo tamen angustiorem inueniri. Sunt alii, licet numero inferiores, qui contrariam sibi eligunt sententiam, acriterque eandem defendunt.

§. II. Priorum in primis sententiae **HELVETIVM** sese subscriptisse cognitum est, quippe qui, non ex sola cordis inspectione, sed, Parisiensis academiae regiae scientiarum sociis praesentibus, experimentis semel atque iterum institutis rem suam extra omnem dubitationis aleam ponere conatus est. Deprehendit enim ventriculum anteriorem fluidi immisso $\frac{3}{4}$ capere, cum posterior $\frac{3}{4}$ tantum reciperet. Et in alio corde reiterato experimento anteriorem ventriculum fluidi $\frac{3}{4}$ cum $\frac{3}{4}$, posteriorem $\frac{3}{4}$ et $\frac{3}{4}$ saltem cepisse obseruavit. ^a

§. III. His, quae **HELVETIVS** instituit, experimentis, nouum robur nouaque fides accessit, cum Cel. Argentoratensium **SALTZMANNVS**, praesente **MICHELOTTI**, in corde bubulo, vitulino, atque suillo eadem felici cum successu imitatus fuerit; ^b et **MORGAGNI** ^c aequa ac **NICOLAI** ^d repetita, heluetiana methodo, experimenta, idem ostendunt, quorum, huius in primis, ventriculum anteriorem $\frac{3}{4}$, posteriorem vero $\frac{3}{4}$ et $\frac{3}{4}$ in suis continuuisse cauis probant atque declarant.

F

§. IV.

- a) Conf. Hist. de l'acad. Royal des Scienc. a. 1718. p. 283. seq. Ed. Amstel. 8vo.
- b) Conf. **MICHELOTTI** in Ep. ad **FONTENELLIVM**, qua, aer pulmones influens sanguinem eorum canales permeantem cogatne an soluat, inquiritur p. 34. ed. Lut. Paris. 1724. 4to mai. et **NICOLAI** in Diff. de directione vasorum ad §. XIII. Not. w.
- c) **MICHELOTTI** l.c. p. 33. idem recenset.
- d) Diff. cit. §. cit.

§. IV. Aliam plane et a priori longe recedentem ventriculorum cordis proportionem deprehendit SANTORINVS.^e Sumsit ille cor hominis, quod vnius pondo erat, cum annexis auriculis, eaque vasorum portione, qua duntaxat ad hanc rem instituendam opus esse censuit. Repleuit aqua anteriorem auriculam pariter ac ventriculum; hoc cor lanci impositum, detracto vacui pondere. $\frac{3}{4}$ x omnino pendebat. Eodem, in posteriori cordis parte, repetito $\frac{3}{4}$ vij duntaxat pendere comperit, circumcisus obtruncatisque auriculis, vtrumque ventriculum, eodem modo separatim impletum, lanci imposuit, et singulorum contentae aquae pondus omnino aequale fuisse deprehendit. Vterque enim sigillatim $\frac{3}{4}$ v et $\frac{3}{4}$ vij aquae continuit. Solam igitur prioris ponderis diuersitatem in diuersa auricularum^f capacitate positam fuisse exinde elucescit; cum auricula anterior seorsim aquae $\frac{3}{4}$ v et $\frac{3}{4}$ vj, posterior e contrario $\frac{3}{4}$ vij et $\frac{3}{4}$ vj receperit. Hinc ipse SANTORINVS auriculam anteriorem tantundem ferme ac singulos ventriculos continere existimat, anteriorem vero auriculam ad posteriorem ea se habere ratione ut 5 ad 3. Olim iam iam experimenta instituisse videtur ORTLOB^f, quippe qui affirmat anteriorem ventriculum capaciorem quidem apparere posteriori, eum vero reapse non esse, sed tantam aquae infusae quantitatem vnum alterumque continere; quam aequalem ventriculorum capacitatem ipse quoque LOWERVS^g cognouit iamiam atque defendit.

§. V. Cum itaque in definienda cordis ventriculorum amplitudine adeo inter se discrepant differantque autores, et vtriusque sententiae defensores rem experimentis demonstrare conentur, ego certe, cui nam subscribam dubius ancepsque haereo. Ipsa igitur autorum experimenta accuratius inquirere, et quaenam ad corporis viui machinam applicari et assumi possint, vberius inuestigare fert animus.

§. VI. Ventriculorum cordis capacitas vel vera est, vel apprens. Relicta apparente veram tantum examini subiiciimus. Inquirendum igitur nobis, num illa autorum experimenta veram demonstrauerint capacitem, num apparentem. Corda, in quibus rem inuestigare studuerunt, ex cadaueribus fuerunt exempta; animal autem dum moritur, impeditur sanguinis propulsio a ventriculo anteriori per arteriam pulmonalem; hic igitur sanguis, cum maximam patiatur resistentiam, anterioris ventriculi latera vrget, premit atque distendit. Ventriculus posterior e contrario in vitae fine atque momento ultima vice se contrahit, contentumque sanguinem per arteriam aortam propellit. Hinc et illius phoenomeni ratio patet, cur in cadaueribus ventriculus posterior sanguine semper vacuus, anterior autem eodem repletus deprehendatur.^h Latera ventriculi anterioris satis tenuia sunt, poste-

e) vid. Obseruat. anat. Cap. VIII. §. III. f) vid. Hist. Part. Diff. IX. §. XVII. p. 67.

g) Tr. de Corde Cap. I p. 36. ed. Amstel. 1669. quo. h) Conf. H. BOERHAAVE Institut.

posterioris vero multo densiora atque crassiora, copiosioribusque fibrarum motricium stratis composita inueniuntur. Musculus quo maiori vi agit eo fortius constringitur. Ventriculus igitur posterior, dum in ultimo vitae momento omnem, quem continet, sanguinem propellit, maxime contrahitur, eiusdemque cuitas coarctatur, et, cum eius parietes a nulla vi amplientur, quae distendere illos valeret, constricti quodammodo atque coarctati permanent. Ventriculus autem anterior, cum, vi naturali destitutus, sanguinem contentum ulterius propellere nequeat, sed in suo potius cauo retineat, in expansione ut versetur necesse est. Sanguis, qui hic haeret, et commoratur, latera eiusdem vrget atque premit, et tali ratione ulterius expandit; cumque insuper ipsius ventriculi latera non adeo firma et densa esse anatome doceat, ut illum, quo implentur, sanguinem, spatio naturaliter angusto coercere possint, ipsa eius cuitas praeter naturam expanditur, et eo magis, cum quedam sanguinis pars ex annexa auricula in eam semper protrudatur. Ergo et huius ventriculi cauum, dum post mortem inspicitur, praeter naturalem nobis capacitatem ostendit, illaque eo amplior erit, quo magis a contento, sensimque aucto sanguine, dilatata fuerit. Fingamus nobis casum, polypum anterioris ventriculi cuitatem occupare, vel inspiciamus cor cadaueris, quod a fulmine tactum interiit, vel quod vndis immersum vitam cum morte commutauit, ea certe omnia, quae iam proposui, his casibus longe clariora reddi atque illustrari posse crediderim. Quid vero nos prohibeat, quo minus eundem ventriculorum statum in omnibus, quocunque etiam mortis genere defunctis, assumere possimus, equidem ego non intelligo. Praecipue, cum in omnibus primum pulmonum, dein cordis actio motusque deficiat, deficiente autem pulmonum motu, sanguinis quoque motum per vasa pulmonalia deficere, quis est qui negat? Cum in omnibus itaque animalibus prius deficiat contractio ventriculi anterioris quam posterioris, nos certe in omnium cadauerum cordibus, ventriculus posterior ut contractus, anterior ut dilatatus reperiatur, iure postulare videmur.

§. VII. Ex his itaque, vera quidem esse heluetiana methodo instituta experimenta, ea vero non nisi apparentem ventriculorum capacitatem demonstrare patet; in primis, cum et aliae adhuc circa ipsam experientia instituendi rationem deprehendantur difficultates. Si enim ventriculos cordis fluido, vel quocunque, implemus, hoc versus horum latera premit, ea distendit, sic ampliora et capaciora reddit. In quo igitur minor rem inuenit resistentiam, eum maiorem in modum expandit. Ventriculi posterioris latera multo crassiora et densiora sunt quam anterioris, maior igitur erit resistentia, quam exercet ventriculus posterior in liquorem

F 2

con-

Institut. med. §. 159. no. 8 ed. L. B. 1734. quo, et in Praelect. academ. ab HALLE-
RO edit. T. II. § 159. p. 61. 62.

contentum, minor autem illa anterioris; ergo et ventriculus anterior posteriori facile amplior euadere poterit. Illos igitur, qui, cum in cadavere cordis ventriculi inaequali capacitate gaudeant, eam ipsam quoque in animali viuo inueniri credunt, falsum quid pro vero amplecti compertum est.

§. VIII. Physiologi probant atque demonstrant eandem sanguinis quantitatem ventriculum posteriore recipere, quae ab anteriori in vasa pulmonalia propulsa fuit; nec vel minimam sanguinis partem in vasibus pulmonalibus remanere posse. Si enim e. g. ventriculus anterior 3*i* aut 3*ij* plus sanguinis emitteret, quam posterior recipere valeret, necessarium esset, ut illa superflua sanguinis quantitas in pulmonum vasibus permaneret, hoc autem si accideret, necesse esset, ut aut posterior ventriculus plures se expandere atque contraheret quam anterior, aut ut ipsa vasa pulmonalia breui temporis spatio sanguine turgida atque repleta ulteriore huius accessum ex anteriori ventriculo prohiberent, sicque homo interiret; vtrumque vero neutiquam e re constat, ergo ut aequalis semper inter sanguinem anterioris et posterioris cordis ventriculi sit proportio poscimus et vrgemus.

§. IX. Neque hic prouocare licet ad sanguinis refrigerium in pulmonibus, et inde pendente eius condensationem; cum aer externus in illis calidior fiat, atque calorem corpori nostro proprium induat.ⁱ Nec eorum sententia nostram destruit, qui partem quandam ex anteriori ventriculo propulsi sanguinis, ad ipsam pulmonum nutritionem, impendi sicque illius quantitatem imminui afferunt. Postquam enim RYSCHEVS^k bronchiale arteriam huic negotio aptiore inuenit ea quoque corruit.

§. X. Neque nos ad SANTORINI experimenta prouocamus, quod et illa suis difficultatibus premi videantur. Nec inaequalis auricularum capacitas, nostram inuertit sententiam. Nondum enim in constituendis earum limitibus conueniunt; vel si conuenirent, et anterioris capacitas in cadaveribus maior existeret illa posterioris, tamen et hic eadem valere, quae de ventriculis (§. 6.) auguror; in primis cum longiorum remoram patiatur sanguis per cauas adductus in anteriori quam ille per venas pulmonales in posteriori auricula. Rebus itaque sic se habentibus, neminem non meam amplexurum sententiam confido ubi affirmo.

Non diuersam vtriusque cordis ventriculi esse capacitatem.

i) Vid. BOERHAAVE Institut. med. §. 202. et in Praelect. T. II. p. 180. et 211. et 212. nec non HALLER. ibid. in nota q) ad §. 200. p. 180. et 181.

k) Vid. eiusd. XV. Obs. quae annexae sunt dilucidationi valuularum in vasibus lymphaticis et lacteis; eam quoque tabula adiecta pingit.



* * *

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
 CONSENSV
 MODERATORE
D. CHRISTIANO GOTTLIEB LVDWIG
 COLL. B. M. V. COLL.
 D. X. AVGUST. A. O. R. MDCCXL.
 HORA X-XII.
 IN AVDITORIO MEDICORVM
IOANNES BENIAMIN BOEHMER
 LIGNICENSIS
 PHILOS. ET MED. CVLT.
 QVAESTIONEM MEDICAM
 PROPONIT

An a nerui phrenici alterna compressione alternus quoque thoracis motus?

§. I.

Quam dubii ac ancipites haereant physiologi in alterni thoracis motus caussa determinanda, et quam diuersae exinde ortum traxerint hypotheses, nemo sane non, qui vel fugituo, vt aiunt, oculo eorum hoc de argumento conscriptos peruvoluerit libros, perspicit facile atque cognoscit. Has omnes in praesenti ut vel recenseam, vel qualicunque examini submittam nec instituti, nec virium ratio permittit.^a Vnicam modo ex omnibus adducere et examinare sententiam mihi quidem liceat. Ea scilicet est, quam ante paucos abhinc annos medicus apud Scotos celebris **GEORGE MARTINE** in medium protulit, et quae, non sola nouitate, se commendatissimam reddidit.^b Hic enim primus fuisse videtur, qui ad neruorum phrenicorum situm ac ortum plane singularem attendit, et a mutua eorundem compressione ipsum alternum thoracis motum dependere contendit atque demonstrauit.

§. II. Diaphragma, latus ille et compositus musculus, sterno, costis, a septima ad duodecimam, et vertebris, dorsi vltimae, lumborum primis, arctissime annectitur, atque ita constitutus est, ut obliquum fornicem ab anteriori ad posteriorem thoracis partem protensum formet. Huius conuexa superficies thoracis, concava vero abdominis respicit cavitatem, angulumque cum sterno obtusum, cum vertebris vero acutum

G

efficit

^{a)} Hoc inter alios iam perfecere **GEORGE MARTINE** conf. *Medical Essays and obseruations T. I. Obs. XII. p. 156. seqq. ed. Edinburgh 1737.* quo **ANT. FIZES** in vniuersae physiol. conspectu anatom. mechan. p. 121. seqq. ed. Monspel. 1737. quo et **Cl. GVNZ** in *Pr. de noua respirationis sententia,*

^{b)} conf. *Medical Essays I. c.*



efficit. Tanta autem huius fornicis altitudo est, ut ad dimidiam ferme thoracis cavitatem ascendere, sicque eam angustiorem reddere videatur.

§. III. Omnis musculus, dum agit, se contrahit, omnesque fibrae motrices sunt breviores; ac ipse tendo magis adducitur. Diaphragma igitur in actione constitutum elliptoidem suam, quam alias refert, figuram in planam mutat, et pro ipsa diversa huius directione, eae quoque, quibus firmiter cohaeret, partes in alium situm rediguntur. Abdominis viscera in fornicis sinu prius latentia, nunc deorsum extrorsumque coguntur; costae, quibus adhaeret, deorsum, retrorsumque paululum oblique trahuntur; hinc thorax fit longior, abdomen surgit, ac ilia turgida sunt; huius angustior, illius vero amplior redditur cavaitas. Contrarium obseruamus cum diaphragma flaccescit, ac resolutum languet. Tunc enim ad elliptoidem recedit figuram, costae adducuntur, fornix prior restituatur; musculi abdominales sui, quod ambient, cavi viscera premunt, versus superiora vrgent, ac in fornicis cauum iterum repellunt. Sic iterum contrahitur thorax, fit brevior; abdomen comprimitur, ac ilia defidunt; huius capacitas aucta, illius imminuta sentitur et obseruatur. Quae omnia si paulo curatius pensitemus, a diaphragmatis alterno motu illum quoque thoracis deducendum esse facile intelligemus.^{c)}

§. IV. Neque mihi obiici posse autumo quod non aequa ad musculos intercostales respexerim, cum in libera, aequali, placida ac summe naturali respiratione solum diaphragma moueat, costarum vero superiorum motus aut plane deficiat, aut vix ad sensum obseruetur. In illo enim statu nec harum motu opus esse ipsa pulmonum externa conformatio clare docet. Ulterius si consideramus dictarum costarum figuram, nexus ac cartilagini; si et phoenomena a vulneribus inflictis, vel a pure aliisque heterogeneis in pectore contentis, perpendimus, nostra sententiae nouum robur accedit. Nec omnem intercostalibus musculis denego actionem; in primis, si contentior, sublimior et summe impedita sit respiratio. Ast eo minus inde nostra corruit sententia, quo magis, tunc et ipsos scalenos, serratos, aliasque musculos ad ampliandum pectus simul concurrere, certum sit, et quo minus ipsa pulmonum expansio talem thoracis capacitatem postulet ac requirat. Atque his remotis obstaculis nostram sententiam §. 3. defendimus et retinemus.

§. V. Liberum sanguinis fluidique neruosi influxum motum conciliare musculo tot phoenomena docent, tot iterum iterumque repetita expe-

c) Hoc prae aliis egregie demonstrauit WINSLOW. Expos. Anat. T. II. Traité des muscles §. 1067. seqq. et T. IV. Traité de la poitrine §. 151, nec non 10. BAPT. LVD. CHOMEL. in quaest. med. an praecipuum respirationis organum diaphragma? ed. Paris. 1732. et AL. HALLER. diss. de diaphragmatis musculis §. VIII. et IX. ubi etiam plures adhuc allegantur autores.

experimenta euincunt. Arteria enim neruoque resecto aut ligato eundem sisti, et soluta ligatura denuo continuari obseruamus. Vtriusque igitur generis vasa, quae in diaphragmatis musculis dispescuntur, rationem in se continent, cur diaphragma moueatur. Id vero quod impedit quo minus sufficiens eorundem fluidi quantitas ad motrices huius fibras deferri possit, caussa est, cur eius motus vel impediatur, vel penitus cefset. Vtriusque fluidi per vasa sua progressus vel ab ipso eius defectu in corpore, vel ab caussa in cauo vasorum existente, vel a vi externa horum latere premente impeditur. Piores status cum in nostro casu assumi nequeant, ad posteriorem nobis confugiendum erit.

§. VI. Disquirendum igitur est, an nerui illi extrinsecus comprimi possint. Nec vt idem de arteriis probem necesse est. Experimenta enim in nostro casu vnum idemque esse docent, an per vnum, an per alterum vas, an per vtrumque simul fluidi transitus prohibeatur.^d

§. VII. Nervus diaphragmaticus seu phrenicus in vtroque latere ex anteriori, tertii neruorum cervicalium paris, ramo, concurrentibus, secundi et quarti paris eorundem, fibris formatur. Atque postquam ad extremitatem claviculae anteriorem peruenit, pectoris cauum intrat, ibidemque, assumpto adhuc, a primo dorsalium pari, ramo, factaque cum sympathico maximo anastomosi, a latere paris vagante subelauiam pericardio firmiter agglutinatus ad diaphragma recta descendit via, in huius conuexa facie excurrit, tandemque in eo dispescitur atque finitur.^e Hoc itaque prae reliquis omnibus huic neruo peculiare censemur, quod ad perpendiculum ferme elliptoidi superficie insistat, nec tortuoso ac varie inflexo cursu iter suum absoluat.^f

§. VIII. Atque haec ipsa plane singularis nerui phrenici conditio celeberrimo illo Scotorum medico MARTINE ansam occasionemque praebuit, vt in eam inciderit sententiam, ac si ab aere turgidis, alterneque expansis, et pericardii latera arcte cingentibus pulmonum lobis ipsius quoque nerui phrenici medullares tubuli per vices comprimi, et fluidi per eos transitus impediri posset.^g Ast quo minus alternam illam in dictos tubulos actionem ipsi concedamus, obstat ipsa leuis rarie pulmonum visceris compages; obstant densa certe ac fortiter renitentia neruosarum fibrarum inuolucra; obstat denique membranaceus iste fa-

G 2

cileque

^{d)} Hoc optime probat curiosum BELLINI experimentum, quod, ex Pr. a BOHNIO Lips. ed. 1687., ORTLOB in praefatione ad TAVVRY nouam anatom. ed. Vlm. 1694. quo recenset. Et ipse GALENVS resectis nervis phrenicis septi transuersi motum sibi iam cognouit. Vid. eiusd. Adm. Anat. L. VIII. cap. 8.

^{e)} vid. WINSLOW l.c. T. III. Traité des nerfs §. 191. seqq.

^{f)} Conf. icones VIEVSSENII Neurol. vniuers. Tab. XXIV.*, LANCISII Tr. de cor-
dis motu etc. Tab. VII. lit. I.

^{g)} vid. Medical Essays l.c.



cileque recedens pericardii saccus ; quae omnia impossibilem nerui huius ab expansis pulmonibus compressionem luculenter ostendunt atque demonstrant.

§.IX. Illo igitur, quem MARTINE sibi fingit §. 8., mechanismo destructo, an non alia ratione mutua illius nerui compressio explicari possit disquirendum supereft. Atque hoc dum molior, ad diaphragmatis motum situmque inde pendentem mutatum prouoco. §. 3. Cum enim in dia phragmate contraēto fornix in planum fuerit mutatus, ipsaque pectoris caitas longior reddita sit, ipse quoque phrenicus neruus, vt, quod ex eius directione §. 7. cognoscitur, et elongetur et maiorem in modum tendatur necesse est. Assumo nunc experimentis tanquam satis demonstratum, omnem neruum constare ex subtilissimorum tubulorum congerie, qui densa quadam ac satis valida membrana arcte cinguntur et includuntur.^h Neruus itaque tanquam minimorum canarium congeries, qui in maiori continentur, considerari potest. Omnis canalis quo magis elongatur eo angustior fit, et quo magis compacta eius sunt latera, eo fortius in huius cauo contenta premunt. Hoc, ad nostrum casum ut applicem, quid impedit, vix perspicio. Phrenicus igitur neruus quo magis tenditur et elongatur, eo angustior densi inuolucri euadit caitas eo quoque magis nerueas, quas includit, fibras premit, hae se inuicem iterum premunt, harum apprimuntur parietes, coarctatur caitas, immunitur, clauditur ; hinc fluidi transcutis, diametro canalis semper proportionata, quantitas imminuta est, illiusque transitus, sistitur et prohibetur. Sic tollitur fluidi neruosi in motrices diaphragmatis fibras influxus, hoc vero sublato, omnis musculus languet, agere definit, relaxatur ; ergo et diaphragma. Hinc a plana ad elliptoidem recedit figuram ac fornix restituitur. §. 3. Redit itaque et prior nerui phrenici status, breuior fit, ac densi inuolucri caitas amplior, tubulorum nerueorum compressio tollitur, prior horum caui diameter restituitur, ac liber fluidi restauratur progressus. Aptum igitur ad nouam actionem praestandam euadit diaphragma, denuo contrahitur, planum fit. Ad priorem statum et nerui phrenici elongati redeunt. Fluidi per eos transitus impeditur ; hinc et eius in diaphragmatis fibras influxus iterum cohibetur, denuo itaque lauguet et relaxatur. Quae diaphragmatis figura cum semper ita mutetur, semper quoque alterne contrahitur et relaxatur, id est alterne mouetur ; ab huius vero alterno motu ille quoque thoracis dependet §. 3. 4. Ergo et

a nerui phrenici alterna compressione alternus thoracis motus.

b) Vide sis quae habet LEEVWENHOEK in Epist. physiol. 32, 36, et 46. nec non ALSTYART. in diss. de structura et motu musculari cap. V. §. 1. seqq.





GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

CONSENSV

MODERATORE

D. CHRISTIANO GOTTLIEB LVDWIG

COLL. B. M. V. COLL.

D. XXIV. AVGVST. A. O. R. MDCCXL.

HORA X-XII.

IN AVDITORIO MEDICORVM

CAROLVS GOTTLIEB PAVLI

VRATISLAVIENSIS

PHILOS. ET MED. CVLT.

QVAESTIONEM MEDICAM

PROPONIT

An chyli separatio per tubos capillares explicari queat?

§. I.

Pensitanti mihi atque accuratius paululum consideranti, illas, Physiologorum de transitu chyli opiniones, dubius et anceps haesi, cuius sententiae subscriberem. Has enim omnes, aut non satis demonstratas, aut tantis adhuc dubiis circumscriptas, imo plane experientiae contrarias esse inueni. Quae cum agerem, placuit ac magis arridebat, illa tubolorum capillarium a NEVTONO, MVSSCHEN BROEKIO aliisque Physicorum doctissimis demonstrata satis actio, nullusque dubitaui, longe facilitiori ratione quam vñquam, chyli separationem per eam demonstrari posse. Quod ipsum, dum in me suscipio negotium, neque aliorum sententias

H

addu-



adducere, neque easdem reiicere, instituti mei ratio postulat; potius mihi iam incumbit, quo eo clarior mea euadat sententia, vasorum capillarium addere definitionem. Ea autem sunt tubuli minutissimi et angustissimi, potissimum ex vitro vel aere parati, sponte, ac propria attractionis vi, aquam vel omne fluidum in suam cuitatem trahentes.

§. II. Si igitur actio atque attractio fluidi fieri debet, ut moueatur prius fluidum et sic aequilibrium in superficie tollatur, necesse est. Et hoc etiam accidit, si tubulus talis minutissimus fluido immittitur, tunc motu facto, aequilibrium particularum inter se cohaerentium turbatur, agit rursus in tubulum, nullamque inueniens in cauo resistentiam, in hoc penetrat. Quo minora autem sunt vasa, eo citius fluidum inuenit puncta contactus; in quo uis vero nouo contactu, noua versus solida est actio, motus existit, aequilibrium humoris iterum tollitur, nec ullam inueniens resistentiam, ascensus in tali vase facillimus. Quod ipsum etiam tot, pene dixerim innumera, NEVTONI, MVSSCHENBROEKII et inter nostrates Cl. HAMBERGERI instituta experimenta maiorem in modum monstrare poterunt.

§. III. Quid igitur impedit, quo minus chylum, cum sit fluidum tenuissimum, lactescens et gelatinosum, ex alimentorum assumta copia expressum, liquore ventriculi et intestinalum solutum, ac ita euolutum, ut ad sensum homogeneous humorem constituat; tanquam tale fluidum ad ascensum in vasis aptissimum pronunciemus.

§. IV. Dum autem proprius ad ipsam chyli separationem accedo, praesuppono, neminem facile illam, cum reliquis, in corpore nostro secretionibus, comparatur. In illo enim statu humores per varia organa atque minutissima vascula primo ducuntur, sive ad secretionem, postea subeundam, praeparantur ac elaborantur, cum e contrario chylus, in ventriculo et duodeno, motu peristaltico, aliisque digestionis adminiculis, ex alimentis expressus paratusque, per ieiunum et ileum, foeculentis partibus admixtus transeat, et ita per villos minores absorbeatur. Per tunicae enim internam intestinalum, quae villosae nomine insinuitur, arterias et venas transire et villorum ad instar eminere, recentiores ostenderunt Anatomici. Cum igitur vasa lactea, venarum in modum per intestina distribuantur, nemo nobis contradicere poterit, si fines,

seu

seu potius principia vasorum lacteorum, eodem modo in cauo intestinorum eminere, assumimus. Licet enim, ob teneram admodum struturam, ad sensum non semper demonstrare queamus, tamen obseruatio, quam Cel. BRVNNE RVS et in dissertatione sua de glandulis duodeni adducit, et in tractatu, quem de iisdem postmodum edidit, magis declarat, praesentiam villorum lacteorum egregie demonstrat. Arteriosus villus nihil absorbet, quoniam humores, a centro ad peripheriam mouet; villum vero venosum, huic usui inseruire probabile est, licet controversiam, de transitu chyli per venas mesaraicas motam, vrgere nolimus. Nos potius, pro instituti nostri ratione, villum vasis lactei, chylum in se recipere posse, assumimus et ulterius declaramus.

§. V. Iusto melius autem et longe faciliori ratione, vasa illa chylum absorbentia tubis capillaribus aequiparari posse existimauerim. Cum enim ex (§. I.) constet, vasa capillaria esse angustissimos tubulos, qui fluidum vi attractionis in cauum admittunt, et vasa lactea quoque tanquam subtilissimi canaliculi, in intestinorum caua obliquo tractu hiantes, et aliquomodo producti considerari queant, comparationem nostram nemo facile in dubium vocare poterit.

§. VI. Nihil igitur supereft, quam ut diligentius adhuc inquiram, qua ratione, et quo tempore, chylus in vasa lactea intret, et ita chyli separationem per tubos capillares explicari posse, luculentius demonstrem.

§. VII. Fibrae intestinorum circulares, vel potius semicirculares sibi inuicem oppositae, in interiori, longitudinales vero in exteriori tunicae musculosae superficie disponuntur. Arcta harum fibrarum connexio, non permittit, quod in his motum circularium et longitudinalium alternum assumamus, sed utræque simul expanduntur et simul contrahuntur. Quando itaque alimenta digesta, siue chymus, in partem quandam intestinorum immittitur, tunc illa paululum in longitudinem, magis tamen in omnem ambitum extenditur. In momento sequente, et longitudinales, et circulares contrahuntur, et ita eandem partem et angustiorem et breuiorem reddunt.

§. VIII. Hac, motus peristaltici actione, breuissimis tantum declarata, quid in expansione et contractione intestinorum, respectu vasorum lacteorum, fiat disquirendum est. **Contractionis enim**



enim et expansionis summae stadium, momentaneum est, et vix attendi meretur.

§. IX. In contractione, villi lacteorum vasorum eminentes, in fluidam chymi massam immittuntur, et cum crassiores particulae intrare nequeant, subtiliores tantum et chylosae suscipiuntur. Quoniam vero e tempore, musculosae tunicae fibrae ad se inuicem accedunt, et interiorem cellularum neruearum tunicae habitum, quem tunicam albinianam dicunt, et in quo vasa lactea ramificationibus suis excurrunt, comprimunt, chylus ulterius ascendere nequit, sed alterum motus momentum expectat.

§. X. Illud autem evenit in statu medio, ubi, post summum, quod per robur fibrarum muscularium possibile est, contractionis momentum, expansio sequitur. Tum intestina, post contractionem, vel sola relaxatione fibrarum muscularium, vel ab impulso chymi succendentis, expanduntur, et vasa lactea, in neruearum cellularum habitu continuata, libera fiunt, et chylus, in principio vasis lactei contentus, non tantum ulterius ascendit, sed et illum, qui semel intravit, aliae particulae chylosae sequuntur. Dum enim illae, lateribus adhaerent, idem evenit, quod superius (§. II.) de vasis capillaribus diximus.

§. XI. Sed illam fibrarum relaxationem et intestini expansionem noua sequitur contractio. Vasa igitur lactea, in cellulari habitu interiori distributa, iterum comprimuntur, in ipso vero compressionis actu, chylus, per principia vasorum lacteorum exire nequit, quoniam angustius est orificium, et compressa, per contractionem, alimenta, spatium chylo retrocedenti non relinquunt, ulterius igitur ascendit chylus, et in vasa extra musculosam conspicua, ipsa eius actione propellitur, ulteriusque valvularum beneficio sustinetur et promouetur.

§. XII. Ex illis igitur, quae hactenus proposuimus, clarum est atque perspectum, transitum chyli in orificium sive principium vasis lactei et ulteriorem ascensum in vasculum continuatum, illud esse, quod in chyli secretionem quam maxime attendendum est. Hoc vero per motum peristalticum solum minime explicari potest, nisi simul attractionem in vasis capillaribus, per experimenta cognitam, in auxilium vocemus. Merito igitur concludimus:

Chyli separationem per tubos capillares explicari posse.





GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

CONSENSV

MODERATORE

D. CHRISTIANO GOTTLIEB LVDWIG

COLL. B. M. V. COLL.

D. XXXI. AVGVST. A. O. R. MDCCXL.

HORA X-XII.

IN AVDITORIO MEDICORVM

IOANNES ERNESTVS GREDING

VINARIA - THVRINGVS

PHILOS. ET MED. CVLT.

QVAESTIONEM MEDICAM

PROPONIT

An fluidum nerueum nutrire posset?

§. I.


Secretio est separatio fluidi ad sensum homogenei ex sanguine
tanquam liquore corporis vniuersali.

§. II. Viscera corporis nostri diuersum fluidum secernentia,
diuersa gaudent densitate; hac vbique obseruata lege, vt, quo den-
sioribus fluidum secretum constet particulis, eo quoque maiorem
habeat viscus illud secernens densitatem: E contrario, quo mi-
nus densum sit fluidum secretum, eo minorem quoque habeat vi-
scus densitatem, v. g. renes densiores sunt glandulis, et vrina quo-
que densior est v. g. saliuia ex glandulis saliuibus secreta, item he-
par densius est renibus, et bilis quoque densior est vrina etc.

§. III. In cerebro aliquid secerni nemo forsitan dubitabit, qui

I

ad



ad eius structuram attendit. Illud vero, quod in cerebro secer-
nitur, dicitur fluidum nerueum seu spiritus.

§. III. Cerebrum inter omnes corporis nostri partes solidas
minimam habere densitatem vel solo tactu cognoscitur, licet ex
aliis hoc quoque pateat experimentis. Hinc sequitur, ut fluidum
in cerebro secretum subtilissimum sit inter omnes corporis nostri
humores (§. III. II.); quod ipsum quoque ex strutura cerebri ali-
quo modo patere arbitror.

§. V. Neruo ligato vel dissecto nec sensus nec motus in ea,
ad quam abiit, parte obseruatur. Fluidum nerueum ergo ad sen-
sum et motum aliquid confert.

§. VI. Eodem momento, quo motum v.g. brachii producere
volumus, eodem quoque perficitur. Cum igitur motus brachii
ab influxu fluidi neruei dependeat (§. V.), hoc, ut ad partem mo-
uendam quam velocissime accurrat, necesse est.

§. VII. Motu humorum per canales aliquid ex ipsis deteri, in
physiologia ostenditur; ideoque opus est nutritione, quae est ap-
positio particularum in minimis solidis.

§. VIII. Fibras nostri corporis esse diuersae indolis ac den-
sitas ipsa anatome docet.

Dicunt quidem plurimi omnes nostri corporis fibras ultimas ex
meris neruis conflari, adeoque omnes eiusdem esse naturae ac in-
dolis, atque hisce praecipue innituntur fundamentis; quod 1) ce-
rebrum cum spinali medulla in formatione pulli in ouo primum
appareant, reliquaeque corporis fibrae tantum sint continuationes
eorumdem, 2) omnis fibra sensu motuque gaudeat, quod si neruea
non esset, fieri non posse putant. Sed quod ad primum attinet,
respondeo, consequiam non valere, si dico; cerebrum cum spi-
nali medulla in formatione pulli in ouo primum apparent, ergo re-
liquae fibrae tantum sunt continuationes eorumdem. Nam a for-
matione pulli in ouo ad formationem foetus in utero non valet
consequentia. Dederunt quoque viri eruditissimi tam ex analo-
gia, quam ex ipsa anatome demonstratum, ipsum foetum, quam-
primum in utero confisci potest, iam quoad omnes partes com-
parere. Hinc facile concludi potest, ipsum quoad omnes partes
simul extendi debuisse, adeoque cerebrum et spinale medullam
non esse primum, nec reliquias fibras horum continuationes. Quod-
si ta-

si tamen cerebrum cum spinali medulla primo conspicerentur, hoc tantum ex eo inferri posset, quod cerebrum tanquam mollissima corporis pars quidem primo a motu humorum in ouo contentorum debilissimo extendi potuisse, reliquae vero tanquam densiores non item, adeoque eae post iam formatum cerebrum demum conspiciantur, non vero sint continuationes neruorum. Quod ad secundum pertinet, rursus negando respondemus; fibra enim v. g. discissa non ideo dolet, quia neruea est, sed ideo; quia adiacentes tubulos neruorum tendit.


§. IX. Fibra maior ex fibris minoribus sibi similibus, et fibra ultima ex particulis, proportionatam cum ipsa densitatem habentibus, componitur. Sic fibra densior v. g. ossea ex minoribus densioribus ossieis et haec rursus ex minoribus densioribus componitur: fibra non adeo densa v. g. cartilaginea, tendinea, membranosa seu quaecunque alia rursus ex minoribus non adeo densis componitur. Fibrae ultimae densiores componuntur ex particulis densioribus et durioribus, non adeo densae ex particulis non adeo densis etc.

§. X. Ex quocunque corpore semper aliquid auferitur, nec rursus aliquid priori simile restituitur, istud ultimato non manet idem seu simile corpus. Sic si v. g. motu humorum per fibram densiorem osseam quotidie aliquot particulae densiores et duriores auferrentur, nec quotidie rursus aliquot particulae densiores et duriores apponentur, et hoc per aliquod temporis spatium continuaretur, fibra ossea non amplius foret ossea, sed fibra a priori prorsus diuersa.

§. XI. Quaelibet ergo fibra nutrita debet per particulas compositioni suae conuenientes (§. X.) adeoque pro diuersitate fibra rum nostri corporis (§. VIII.) diuersae requiruntur particulae nutrientes (§. X.)

§. XII. Cum igitur fluidum nerueum tot diuersas particulas continere nequeat (§. III.), corpus quoque nostrum nutritio non potest (§. XI.).

Praeuideo mihi obiici posse, membra paralysi affecta contabescere; cum igitur paralysia a neruo obstructo dependeat, sole meridiano clarius esse, nutritionem dependere a fluido nerueo. Sed respondeo primo, nunquam eiusmodi casum reperiri, vbi mem-



brum paralyticum prorsus contabuerit. Secundo concedo quidem fluidum nerueum ad praeparandum humorem nutritium aliquid conferre posse non ipsum vero nutrire. Ex physicis enim constat fluidum subtilius et leuius, crassius et magis densum resoluere posse (vid. Cel. GEORG. ERH. HAMBERGERI Patroni ac Praeceptoris aeternum venerandi Elem. Phys. §. 145.) Hinc sequitur fluidum nerueum sanguinem atque serum, si cum iis commiscetur, resoluere, adeoque densiores particulas a minus densis separare posse, ut quaelibet eo in loco, ubi adhaesione occasio datur, sece apponere queat. Sed rursus obiicies, nonne haec resolutio praestatur ipso circuitu humorum? Concedo. Sed ideo quoque membrum non prorsus contabescit, et ea, quae fit contabescencia, forte in defectu vltioris resolutionis a fluido nerueo dependentis, quaerenda est.

Forsitan dices, me particulis sece apponentibus intellectum tribuere, ita ut densior fibram densiorem quaerat, et particula minus densa fibram quoque minus densam, seque ibi apponat. Sed hoc non opus est. Ponas enim particulam minus densam se ad vas quoddam densius apposuisse; ponas porro, particulam priori densiorem adeoque maiori vi praeditam per fluidum transiens aduehi; nonne haec maiori vi praedita particulam priorem ex loco deturbabit, seque apponet?

§. XIII. Particulae nutrientes in primo adhaesionis momento, nondum cum reliquis adeo firmiter, ut quidem postea, cohaerent: Ergo per motum quemdam maiorem facile rursus separari possunt. Ne igitur hoc accidat, necesse est, ut motus humorum lentior sit: Eiusmodi vero lendum motum in arteriolis, et vasis lymphaticis minimis deprehendi ex legibus circulationis patet.

§. XIV. Fluidum nerueum motu gaudet velocissimo (§. VI.). Quodsi ergo fluidum nerueum nutrire debet, omnes particulas quae sece adposuerunt, rursus secum rapiet. (§. XIII.). Ergo prorsus nullae se apponere possunt. Imo cum ipse motus humorum etiam lentissimus partes ex parietibus vasorum deterat (§. VII.), fluidum nerueum praeterea etiam particulas ex parietibus copiose deteret, et non solum non nutriet, sed etiam destruet. Ideoque ex hac quoque ratione

Fluidum nerueum nutrire non potest.



GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

CONSENSV

MODERATORE

D. CHRISTIANO GOTTLIEB LVDWIG

COLL. B. M. V. COLL.

D. XIV. SEPTEMBR. A. O. R. MDCCXL.

HORA X-XII.

IN AVDITORIO MEDICORVM

CAROLVS AVGVSTVS OEHME

GERANVS

PHILOS. ET MED. CVLT.

QVAESTIONEM MEDICAM

PROPONIT

*An stasis sola sit causa amaritiei et acrimoniae
bilis cysticae?*

§. I.

Bilis est humor in hepate ab extremitatibus venae portae secretus, et a ductibus biliariis suscepitus. Haec vel statim ex hepate ad duodenum ducitur, vel in cystide fellea digestionis usui asservatur. Bilis quae in hepate atque eius ductibus comprehenditur hepatica, quae vero cystidem replet et per ductum eiusdem excernitur, cystica nuncupari solet.

§. II. De structura hepatis, tanquam officina secretionis bilis, non adeo solitus, me potius ad secretionem ipsam conuerto. Cognitum est ex anatomicis venam splenicam et mesaraicas, superiorem aequem ac inferiorem, tandem in unum truncum, venam portae, coire. Haec inter, duos lobos hepar ingreditur, per totam eius substantiam distribuitur, et tandem in singula extremitate in duos exit surculos, quorum unus cum apice venae hepaticae anastomosin format, et sanguinem ad venam cauam iterum reducit, alter vero, cum principiis ductuum biliferorum, penicilli in modum collectorum, connectitur illisque suppeditat bilem, et ibidem magis magisque perficitur, et ulterius ducitur.

§. III. Vasa, quae bilem ex hepate suscipiunt et vehunt diversa deprehenduntur; primum occurrit ductus hepaticus, qui bilem in hepate secretam dicit, tractu paulo obliquiori capsulam.

K

GLIS-



GLISSONII permeat, et in illo loco, vbi ductus cysticus accedit, finitur. Post illum sequitur ductus cholidochus communis, qui ductus hepatici productio esse videtur, et hoc obtinuit nomen, quoniam et bilis cystica et hepatica in eo confluunt; via magis recta ad duodenum progreditur, posterius membranas eiusdem perforat, et denique in illud intestinum humorem suum exonerat. Cysticus ductus est ille canalis qui inter ductum hepaticum et cholidochum inseritur, variis contorsionibus ad cystidem usque regreditur, in cavitate sua rugas ostendit, quae in siccioribus praeparatis valuulis similes sunt. Cystis denique est membranacea illa vesicula, quae hepati in parte concava adnexa deprehenditur, ad piri figuram accedit, et bilem crassiorem continet; dividitur in fundum, partem medium et ceruicem, et ita in statu naturali sita est, ut fundus versus anteriora et deorsum ad intestinum colon spectet, collum vero seu ceruix aliquo modo incuruetur, quo ductus cysticus ad intestinum duodenum eo melius abire possit.

§. IV. De ortu bilis cysticae variae prostant opiniones: **BACIUS** et **SYLVIVS** omnem bilem in vesicula elaborari et inde partim deorsum ad intestina vergere, partim sursum per canalem hepaticum ad hepar abire opinantur; quorum sententiam vero, quoniam et **MALPIGHII** et plurimorum aliorum experimentis, hac de re institutis, contradicit, merito relinquimus. **GLISSONIVS** et **VERHEYEN** demonstrare anisi fuerunt, quod bilis ex hepate ad cystidem per ductus hepatico-cysticos immediate ducatur: sed praesentiam eorundem in hominibus celeberrimi quoque Anatomici euidenter demonstrare non potuerunt.

§. V. Sententiam potius recentiorum Physiologorum amplecti placet, qui demonstrare allaborant, quod bilis cystica quidem ex hepate originem ducat, sed mediante ductu hepatico per cysticum ad vesiculam felleam perducatur, idque ut uberiorius declarem mihi nunc incumbit.

§. VI. Tempore digestionis ob pressum ventriculi et intestinalium versus hepar affurgentium, bilem ex cystide exprimi inter Physiologos constat, illo itaque tempore regurgitatio locum habere non potest, in statu igitur exinanitionis intestinalium illam solummodo possibilem esse videmus. Intestina vacua collabuntur, et spatium in illis non solum imminuitur, sed et fibrae membranarum proprius sibi accedunt. Ex hoc immutato statu totum regurgitationis bilis negotium explicari posse arbitror.

bitror. Quando enim intestina collabuntur, omnes pori et foramina in eorundem membranis etiam coarctantur, et hac ratione orificium ductus cholidochi, in duodeni collapsu quoque angustius redditur. Quando fibrae membranarum in intestinis proprius sibi accedunt, vasa per membranas istas excurrentia, maiorem in modum comprimuntur, et hoc quoque ductui nostro, quippe qui ad pollicis latitudinem duodeni membranas perrepit, accidere arbitror. His conspirantibus orificium ductus cholidochi comprimitur, a tergo vero semper accedit bilis, quae, quoniam abire non potest, per ductum cysticum ad vesiculam felleam ascendere cogitur; hunc bilis progressum rugae in ductu cystico reperiundae haud impediunt, sed potius aliquo modo adiuuant.

§. VII. Notatu adhuc dignum est, quod bilis cystica ab hepatica adeo differat ut, illam ab hepatica ortum sumfisse, vix putares; hepatica enim est tenuis, non adeo amaricans, leuis, colore flavo viridescente conspicua; cystica e contrario spissior, valde amara et colore atro viridescente praedita, vnde vero illa differentia debeat nunc disquiram.

§. VIII. Variae iam de hac re inter Physiologos motae sunt controversiae. IASOLINVS mutationem illam ductui hepatico tribuit, quoniam vero in illo neque secretio, neque accessio quarundam particularum obseruatur, nullam huius sententiae video rationem. Alii, inter quos MALPIGHIVS primum occupat locum, putarunt: ex glandulis in cystide reperiundis atrum, spissum atque amaricatum exsudare mucum, qui postea bilem, vesiculam ingressam, tam in modum immutaret, sed quoniam accuratiori disquisitione repertum fuit, istas glandulas potius limpidissimum, licet tenaciorum paululum, in se continere humorem, haec quoque hypothesis corruit. Periculum itaque faciam, numne alia ratione hoc naturae negotium explicari possit, et ostendere studebo, illam differentiam a nulla alia causa, quam a stasi, quam bilis in cystide, tempore ex inanitionis intestinorum patitur, deriuandam esse.

§. IX. Omnem humorem heterogeneum sola stasi mirum in modum posse mutari, et chymia et experientia quotidiana confirmant. Si enim essentia, aut aliis generis humor diutius conseruatur, fluida subtiliora, imprimis si euaporationi detur locus, exhalant, partes terreae, oleofae et salinae fixiores proprius sibi accedunt, qua de refieri solet, vt talis liquor spissior, color saturatior et sapor acutior evadant; pariratione mutationem in bile se habere, ex sequentibus apparebit.

K 2

§. X.



§. X. Naturam et essentiam bilis itaque ut paulo accuratius disquiram necesse erit, HELMONTIVS bilem solummodo duas habere partes arbitratur, alteram balsamicam, alteram vero excrementitiam; huius celebrissimi viri differentiam quoad bilis effectus locum quidem habere posse non facile negauerim; sed cum potius de partibus bilis essentialibus sollicitus sim B O E R H A AV II data in usum meum conuerto, quippe qui per artem chymicam ostendit, bilem hepaticam ex particulis aquosis, oleosis, salinis et terreis constare, et sequentem earum designauit proportionem; aqua $\frac{3}{4}$, oleum $\frac{1}{8}$, sal fixum $\frac{1}{30}$, et terra $\frac{1}{40}$. Seu si proportionem istam numeris integris exprimere velles; aqua = 72, oleum = 12, sal fixum = 1, terra = 9. Si itaque accipies $\frac{3}{4}$ bilis per artem chymicam ex illa elicies, aquae $33\frac{1}{2}$ gr: Siue 3v. 3j. gr. 13 $\frac{1}{2}$, olei 80. gr. siue 3iv salis $6\frac{2}{3}$. gr., terrae 60. gr. siue 3j. Ex quo apparet, quod aqua reliquas bilis partes quantitate longe superet, cum vero et illa longe fugacior reliquis sit, etiam citius et leuiore pressione expellitur, quo partes reliquae condensantur, et tota massa spissior relinquuntur.

§. XI. Ex opticis constat, quod omnis colorum varietas in primis dependeat a diuersa particularum solidarum collocazione; ex quibus sequi mihi videtur, in bile necessario colorem mutari, quando particulae, in primis terrestres, alium, ac ante habuerunt, situm nanciscantur. Sapor, quoniam praesertim in bile ab oleo et sale oritur, augetur, quando particulae istae in unum quasi colliguntur, ita ut una gutta quae antea in se continebat decem partes huius generis, nunc centum includat.

§. XII. Nostrae denique, de bilis immutatione, sententiae experientia medica fauet; in obstructionibus enim ductuum biliferorum, ubi nimis bilis diutius cystidi inhaeret, saepius illa post mortem aegroti tam spissa et acris inuenitur, ut non solum ferme immobilis membranae cystidis internae adhaereat, sed etiam ob acrimoniam, quae a nulla alia causa, quam a discessu liquoris blandioris, aquosi et volatilioris dependere potest, arrosiones vesiculae felleae non raro inferre solet.

§. XIII. Quoniam itaque nulla acrimonia ad cystidem perducitur §. IV. neque in illa generatur et bili accedit §. IX. et tamen magna bilis mutatio in vesicula fellea obseruatur §. VIII. sequentem in modum concludo:

Stasis sola est causa amaritiei et acrimoniae bilis cysticae.



Tract A 224, 26